



**Ad potentissimos ac serenissimos reges, principes,  
reliquosque amplissimos Christiani orbis ordines, seria de  
Reip. Christianae statu ejusque salute atque incolumitate  
conservanda, Germani cuiusdam nobilis & patriae amantis viri  
commonefactio**

<https://hdl.handle.net/1874/8956>


AD

## POTENTISSIMOS

AC SERENISSIMOS

Reges, Principes, reliquosque amplissi-  
mos Christiani orbis Ordines,Seria de Reip. Christianæ statu eiuf-  
que salute atque incolmitate conseruanda,

Germani cuiusdam Nobilis &amp; Patriæ amantis viri

*Commonefactio.*

Ex donatione publ. à Burchel.

D. M. LXXXIII.



# *Ad Potentiss. ac Sereniss. Reges, Principes,*

*reliquoq; amplissimos Christiani orbis Ordines,*

*Seria de Reipub. Christiane statu eiusque salute atq; incolumente conseruanda,  
Germani cuiusdam Nobilis & Patriae amantis Sibi COMMONEFACTIO.*



V O D si quam in alienis rebus rationibusque iudicij stateram adhibemus, ad eandem nostra ipsi consilia, nostrasque omnes actiones appenderemus, & certius omnis nobis vita ratio institueretur, & omnino infinitæ tum publicæ tum priuatæ calamitates auerteretur. Alienorum enim vel periculorū vel cladi exemplis quasi optimis & certissimis vitæ ducibus ac magistris, ad res omnes & instituendas & perficiendas vteremur. Quod quidē sapientię genus vti tutissimum, ita suauissimum esse nemo vñquam sanus dubitauit. Sed ferè fit, vt in rebus nostris diiudicandis constituendisque, vel cupiditate vel metu vel alia qua piam animi ægritudine præpediti, quod ante pedes est, quodque ceruicibus iamiam imminet, haud ante cernamus, quām ipsa calamitate obruti, repentina interitu tarditatis ac stultitiae pœnas luerimus. Itaque etsi de aliorum exemplis prudenter sèpe iudicamus, dum tamen idem se nobis deuitandū periculum offert, quia vel rei magnitudine, vel ancipitis euentus formidine perterriti, & dum alij fese moueant circūspectantes, moras inutiles neftimus, & alias nos periculi propulsandi rationes habituros speramus, occasionis opportunitate è manibus elapsa, omnis illa speciosa sapientia quæ in alieni periculi exemplo intuendo versatur, inanis prorsus atque infuctuosa nobis abit.

Nulla quidem vñquam vel respub. vel ciuitas, ac ne ciuis quidem vllus aut bonus aut fortis extitit, qui non censeret, in moderato potentiorum vicinorū imperio salutem suam, ac libertatis vitæq; incolumentem omnem consistere. Neque quicquam suā tantopere interesse, quām illos ipsos vicinos iustitia & moderatione animi imperium administrantes, suis se finibus, quasi quibusdam repagulis, continere. Est enim in omnibus quidem ambitio periculosa, sed in illis certè vel omnium maximè, qui quantumuis vastis imperij sui finibus, regnandi cupiditatem nequeunt terminare. Quia cùm Imperiorum mutatio sine tristissimæ vicissitudinis squalore, atque omnium rerum perturbatione vix vñquam possit existere, necesse est, vt quæcunque illis adiacent regiones, vel lōgissimo etiam remotæ interuallo, immoderata huius ambitionis fluctibus agitatæ, sunto tandem interitus atque omnium calamitatum gurgite inuoluantur. Sed quemadmodum Oceanī vel grauissima tempestate tumefacti ac redundantes fluctus, obiecto proximo aggere, vicinis atq; accolis omnem industriam, laborem, ac vigilantiam vno animo, vnoq; opere per initia

adhibentibus, poslunt haud ægerimè cohiberi, postea verò quām uno  
atque altero aggere perrupto, in campos atque arua se longè lateque  
effuderint, nulla neque vi neq; iudustria humana prohibentur, quin cer-  
tam atque incutabilem, non modò innumerabilibus hominum ac pecu-  
num cateruis, sed totis etiam oppidis, latissimisque sèpe ditionibus ac  
regnis perniciem adferant: ita planè quae latè suos fines producunt im-  
peria, si vnanimi vicinorum populorū consensu, quasi proximo aggere,  
suis regionibus per initia cohibeatur, vix est vt grauem aliquam aut me-  
morabilem cuiquam cladē inferre possint, sin autem perruptis finitimo-  
rum vniis aut alteris claustris, & Imperij prolatādi dulcedine semel ani-  
mos delinuerint, & sui noministerorem reliquis etiam iniectū senser-  
int, nulla certè tanta vis est, nullū tam vastum aut violentū repagulum,  
quo fui ètes isti ambitionis impetus queat amplius coerceri. Quod qui-  
cunq; post homines natos viri sapientes perspexerūt (perspexerūt autem  
omnes qui quidem prudentiā ad res gerendas adhibendā esse ratisunt)  
ij sc̄mper statuerunt boni ac patriæ amantis ciuis, maximè autē Principis  
esse, diligēter ac mature prouidere, non modò vt in sua Repub. benè be-  
ateq; suis ciuib; ac populis esset, sed etiam ne qui finitimi vel Reges vel  
populi in vicinorum sedes, quacunque tandem obtenta iustitia specie ac  
prætextu, per vim irrumperent, regnūe cupiditate allecti, suos fines in  
vicinorum ditionem ambitiosè propagarent. Hinc olim Romani Car-  
thaginensium crescentem potentiam, missis auxiliaribus copijs, quæ  
Mamertinos obsidione liberarent, & Hispaniam ab Afrorum seruitute  
vindicarent, omnino sibi putarunt esse imminuendam. Hinc Antio-  
chum Epiphanem, tutelæ specie, Ægypto inhiantem, suis finibus ac re-  
gionibus circumscripterunt, neque vñquam alicuius vel Regis, vel po-  
puli potentiam in immensum crescere passi sunt. Hinc etiam, nostra  
maiorum quæ nostrorum x̄tate, Venetorum illa eximia sapientiæ laus ac  
prædicatio extitit: qui cùm se haud temerè ad bellum suscipiendum  
commouere vñquam soleant, itatamē sua consilia semper temperarunt,  
vt si quando vicinos, vel populos vel principes, cernerent immoderato  
ambitionis impetu in vicinos vim intentare, sua semper arma infirmio-  
ribus præsidio esse voluerint: vt tanquam in trutina libratis populorum  
ac Principum Italiæ viribus, nemo existaret, qui se Venetam rempubli-  
cam speraret armis posse opprimere. Quod quidem constans ac perpe-  
tuum eorum institutū, inter multa alia præclara vel præcipuū habetur,  
quod illam rempub. non modò iam ad mille & amplius annos floren-  
tem conseruarit, sed omni etiam virtutis ac sapientiæ laude apud exte-  
ras omnes gentes cumulatam atque admirabilem reddiderit.

Atque hoc quidem exemplū, Laurentius Medices vir sua x̄tate om-  
nium in Italia sapientissimus, summo studio atque industria ita securus  
fertur,

fertur, vt alta Italæ pax & beatissima tranquillitas, illa ætate, eius vnius prudentiæ, omnium propè scriptorū calculo tribuatur, propterea quod tum suis consilijs, tum reipub. Florentinæ, in qua clauum tenebat, armis atque auxiliis omniū Italæ Principum cupiditates ita frenabat, vt si quis extra suos fines, ambitionis ruens impetu, qui cquam tentasset, ille continuò reliquorum Principum ac populorum armis atque autoritate coérceretur. Atque hoc quidem certè nemo est, qui non videat, sentiat, statuat, nemoq; qui non eos populos grauiter incuset, & verò etiam proditæ patriæ reos peragat, qui vel metu perterriti, vel ignavia fracti, vel otij & quietis suauitate illecti, vel tarditate & quasi quodā veterno cōsepulti, vel denique ciuilibus ac domesticis contentionibus implicati, finitimarum regum ac populorum ambitiosa imperia, per socordiam ita paſsi sunt propagari, vt cum post eorundem vim atq; impetum sustinere non possent, tristissima calamitate ac pernicie & se & patriā suam inuolutam cernere coacti sint. Ecquis enim est nostrum qui non censeat, veteres olim Gallos, si vñanimi omnes consensu, Iulij Cæſaris arma initio repulissent, rempub. à Romanorum seruitute liberam nullo negotio tenere potuisse? Sed dum alij vicinorum ærumnæ atq; interitus otiosos se præbent spectatores, alij suis etiam armis atque auxilijs potentia Romanam corroborat, perbreui tempore eò res adducta est, vt amplissimum illud potentissim umq; imperium in prouincias redactum, turpi seruitute penitus fuerit oppreſsum.

Quo d Italia ipsa? Si adoleſcentem Romanorum potentiam sub initia communib; armis ac viribus colibuisſent, neque paſsi eſſent ſigillatim Antiates, Crustuminos, Ceninēſes, Latinos, mox etiam Volſcos, Aequos, Sabinos, atque inde porrò Samnites, Vmbros, Brutios, Hetruscos, alioſque ſingulos per ſe populos ſub iugum venire, annon & ſuam libertatem tutati eſſent, & reliquos Europæ populos à fœdæ ſeruitutis capiſtro vincicaffenſt? Et tamen, vix quisquam illorum eſt exemplis factus ſapiētor. Et dum omnes de alijs quidem recte iudicarunt, nemo eſt qui ſuis temporibus iudicij illius fructū ad ſe potuit traducere. Atq; ita poſt Italianam, Siciliam, mox Africa atq; inde porrò omnis Afſia, & propè vniuersus terrarum orbis, ſeuifimo Romanorum iugo ſubacta, ſocordiæ atque ſtultiæ pœnas dedit. Eadem penitus vel vœcordia, vel stupore Christianorum Principiu animi olim occupati, Saracenorum genti atque imperio eis opportunitates dedere, quæ florētiſmas totius Afſia, Africæ, atque Aegypti Ecclesiæ funesto Mahometicæ ſeruitutis iugo turpiter opprefſas, à vera cœleſtis doctrinæ cognitione penitus abalienarunt. Quorum tyrannidem excepit crudele Otomannorum imperium, quod quidem ex minimis & planè contemnendis ortum initij, paulo momēto ita mirabiliter excreuit, vt iam non Afſia aut Africæ regna, ſed ipsius Europæ

penitissima viscera peruerterit, vastarit, euerterit.

Atqui nemo non videt, ipsos Christiani orbis Principes ac populos, dum vel domesticis dissidijs inter se implicati, vel ignavia perterriti, vel ambitione ardentes, vicinorū cladem ad se minimè putant pertinere, satis sibi quisque virium fore rati, ad gladios Turcarum à suis finibus depellēdos, illorum feritati & spacium temporis & opportunitatem eam dedisse, quam ne ipſi quidem vix vnquam optare, sperare certe nunquam ausi fuissent. Quo quidem incendio, nisi Germaniæ dulcissimæ nostræ patriæ virtus obſtitifset, quæ communi consilio atque imperij decreto, vires suas ac veſtigalia coniungenda esse putauit, vt quoties necesse esset, Otomanūnicamillam potentia, vel suo certo periculo cohiberent, iampridem orbis Christianus vniuersus conflagrasset. Eadem illa Germaniæ virtus olim se Romanis armis sola obiecit. Cū enim reliqui & Europe, & Afri-  
cæ, atque Asia inde vsque ad Persas & Parthos ferè omnes populi, ea quam diximus imprudētia, iugum illorum admisissent; soli Germani coniunctis viribus, eorum potentiam multis prælijs fregerunt, & ſep̄e viētores, ſep̄e etiam vieti, ita ſemper vires repararūt, vt oblata tandem per ciuiles Imperij Romani diſſenſiones occaſione, ipſi iam ex Germania magnis exercitibus comparatis, in Romanorum ditiones vndiquaq; irrumperent, & eos qui alijs ante gentibus imperarant, non modò sub Germani Imperij iugū ire docuerunt, ſed prop̄e ad internectionem etiam deleuerunt. Quæ certe virtus, nullis laudibus, nulla prædicatione, ſatis poterit vnquam celebrari.

Sed quò maior ac præclarior illa fuit Maiorum nostrorum virtus, eō maiori cum admiratione ac dolore, boni omnes ingemiscunt, nos iam ab auita illa fortitudine degeneres, tacitos, otiosos, ac ſecuros cernere ac pati Hispanorum superbū & crudele iugum, prop̄e iam vniuerso terrarum orbi impositum, etiam nostris posterorumque nostrorum ceruicibus imminere.

Nolo equidem, vel gentes vel Principes inter se comparando, nomini cuiuspiam inuidiam excitare. Omnis enim seruitus & grauis & viro indigna eſt. At verò Hispanorum seruitus, quos iam nuper à Mauris & Saracenis ortos, ſeuifſimæ Inquisitionis terror ad Christiani nominis cōfessionem, inuitos atque obſtinatè reluſtates, per vim coēgit, an Turcorum seruitute tolerabilior censerit poſſit, haud facilè pronunciauerim. Esto penes Granatenses, penes Indos, penes Neapolitanos hoc iudiciū.

Illud certe conſtat, Romanorū iugum, eti propter inexplibilem Imperatorum ac militum auaritiam (quorum hyberni plures ſociorum ciuitates deletæ traduntur, quām armis hostium vrbes) gentibus eſt intolerabile, tamen ob multas præclaras populi illius virtutes, ſi cum Hispanorum superbia, crudelitate, auaritia conſcratur, seruitutem illam libertatis,

libertatis, obedientiam imperij nomine meritò céseri potuisse. Sed quomodo se hoc habeat, illud certè exploratū est, nisi mature prouideatur, & communī atque vnanimi reliquorum Regum ac Principum consilio, Hispanorum conatus atque animi frangantur, propediem fore, vt eorum viribus per communem socordiam in immensum auctis, ferò & frustra se sint obiecturi iij, qui commune hoc Christiani orbis incendium ad se nihil dum putant pertinere: ac proinde, rati se, si quid in suis finibus tentetur, facile vim omnem esse domesticis armis propulsaturos, vicinorum Belgarum cladem imminentem otiosè spectant: Neque videt hac sua socordia Hispānicæ ambitionis ac superbiæ flamas accensas ea capere incremēta, quibus pōst, & ipsorū tecta & vniuersi orbis Christiani omnes prouinciæ, ditiones ac regna breui sint conflagratura. **N E Q. V E** enim est quòd quis existimet, Brabantę, Flandrię, aut Hollandię regionibus huius incendij faces cōpressas posse coērceri, cuius iam non scintileg, sed ardētes flāmæ, non modò Italiam, sed Galliam, Angliam, Scotiam, & Germaniam ipsam, atque vniuersum denique terrarum orbem, longè latēq; peruagatæ incenderunt. Atqui ne Hispāni quidem ipsi dissimulant, orbis terrarum Monarchiam fato sibi deberi: vtpote quorum virtus ac fortitudo nouum, atque ante incognitum terrarum orbem, armis subactū, legibus atque institutis ornari, moribus ac disciplina expoliuerit, & Catholica denique ac Romana religione imbuerit. Sui esse muneris prædicant, constituta Monarchia, reliquos Christiani orbis populos ad eandem fidem ac disciplinā adducere, & omnes de religione controuerfias, nominis sui atque Imperij terrore, armorumque virtute componere. Hæc illi non modò palam dictitant, quotidianisque sermonibus usurpat: sed re ipsa, & omnium consiliorum, actionum, rationum, rerumque gestarum certissimis atque indubitatis indicis aperte confirmant. Nihil enim aliud agunt, nihil spectant, nihil cogitant, quam ut subactis semel Belgij populis, sedem ibi belli statuant, vnde quam minimo negotio, & in Germaniam, & in Angliam, & in Galliam, quoties adlibuerit, perrūpāt. Et primū quidem in eos supplicium statuant, quos suis studijs minus fuisse fauentes, vel leui suspicione iudicabant: atque inde porrò reliquis Christiani orbis Regibus ac populis quocunque videbitur pro libidine imperent, & si qui dicto minus erunt audientes, eos à finitimis desertos, & hostili manu vndique cinctos, infestis armis opprimant, & sub iugū seruitutis mittant. Eò sua omnia consilia, rationes, conatus, iam inde usque intēderunt, ex quo oppressa armis Italia, non modò in Germaniā, Religionis instaurandę pretextu, secēre impetum, sed etiam orbis Christiani Monarchiam omnem sibi subiçere tentarunt.

Quod quidem vt perspicuè intelligatur, operæ pretium erit, nos hic vobis, Potētissimi ac Serenissimi orbis Christiani Reges, Principes atq;

Ordines amplissimi, Hispanicorum consiliorū, institutorum atque actionum omnium seriem, inde usque à primis initij ad hæc tempora, ordine ac breuiter explicare: ex qua mens eorum atque animus, & spes omnis atque institutum perspicuè elucescat: ut ita communī malo, cōmūnībus consilijs remedium opportunū maturè quæratur. In quo nihil equidem dicam, nisi quod in omnium oculis positum, & quasi in quodam amplissimo orbis theatro gestum, nemini poterit esse obscurum. Quod quidem ego dum vobis ob oculos pono, viri Principes, quæ so paulisper attendite, atque animum ab omni præiudicata opinione ad cognoscendam rei veritatem, diligenter aduertite.

Potquam itaque gens Hispanica Ferdinandi virtute Maurorum iugo liberata, longoque armorum usu atque exercitatione roborata, reliquis se gentibus ac populis bellica laude, vel superiores, vel certè pares esse posse statuerunt, continuò ad occupandam Italiam animum adiecerunt: præsertim cum ab Arragonijs, qui olim ex Hispania oriudi sedes suas Neapoli fixerant, ad subsidium contra Gallos vocati, florentissimæ ditionis amplissimam vberatem, atque omnium rerum redundantem copiam oculis atque animo lustrassent: & iam Siciliam insulam ad importandos comedatus, traij cienda que militum copias, & ad omnia denique belli gerendi sustentandi que præsidia longè oportuniſſimam, Gallis etiam multo antè tempore ereptam tenerent. Itaque deserta cie & tāque Alfonsi stirpe, cum Gallo fœdus ineunt, & de repartienda inter se vniuersa prouincia paciscuntur. Ex quo cum Gallos ad belli procurationem segniores cunctantioresq; factos viderent, orta de finibus contentione, acrius bellum instaurant, ita tamen ut non multò post, opera Philippi Archiducis (cui filia nupserat Ferdinandi) pacis nouæ conditiones propositæ sanci- rentur, quo stratagema Gallicis subsidijs quæ iam in procinctu erant, remoratis, à Consaluo reliquiæ Gallici exercitus ad Gariglianū flumen penitus cæſæ fuere ac profigatae, atque ita Gallis omnibus Neapolitano regno procul electis, Hispani oportuniſſimam belli sedem, ex qua Italiae toti imperarent, collocatis præſidijs, & substructis arcibus ac munitionibus occupant. Cumque iam sub idem ferè tempus, authoritate Pontificis Romani, vastissimis illis Indianarum regionibus inter Lusitanos & Castellanos repartitis, vniuersam Americanam, atque Indiae occidentalis amplissimum complexum, admirabili & nunquam ante audita crudelitate vastatum, imperio suo subiecissent, & simul inferioris Germaniæ, quæ Belgicam Galliam attingit, Principes ac ditiones affinitatis necessitudine sibi coniunxissent, rati iam se habere ararium unde belli gerendi facultates depromerēt, partim propter auri atque aromatum incredibilem copiam, quæ ex Indicis navigationib. in singulos propè annos aduehebatur, partim ob mercium innumerabilem transvectionem, quæ à Belgicis ac Batauicis

tauicis mercatoribus ac nauiculatoribus cum Hispanijs instituta, vestigia  
lia mirificè auxerat, ad reliquam Italiam sibi subiungendam animum  
adiecerunt, ac proinde Insubriam vniuersam, feracissimam certè ac  
florentissimam Italæ partem, sub specie auxilij Sforziæ ferendi, Gal-  
lis ereptam, mox etiam Sforzia opprepresso occupatam Hispanicis præsi-  
dijs firmarunt. Florentiæ, Senæ, Pisæ, atque adeo vniuersæ Heturiae  
statum commutarunt, imposito illis Duce, quem suis partibus ac stu-  
dijs addictum norant. Parmam & Placentiam arcibus & præsidio fir-  
marunt. Genuam, Ligustici Maris portum sactionibus ac dñsidijs do-  
mesticis agitatam, confirmata Dorijs authoritate atque imperio, sibi  
addixerunt.

Denique varijs artibus vniuersam propè Italiam sibi addixerūt: extre-  
mos certè illius vtrinque fines penitus manciparunt. Et necdum satiata  
regnandi cupiditate, cùm multos etiamnum restare principes ac popu-  
les interiectos cerncrent, qui nō modo ipsi eslent Hispanæ gentis impe-  
rium detrectati, sed alijs iam subiectis populis, vindicias ad libertatem  
fortasse etiam daturi, putarunt eādem sibi via propulsandum hunc esse  
metum, quam pridem ante in ipsis Hispaniæ visceribus ad liberrimam Ar-  
ragoniorum gentem penitus edomandam tenuerant, cùm nimirum, in-  
iecto Inquisitionis fræno & proceres atque ordines in regni comitijs  
libertate suffragiorum spolarunt, & prouinciam omnem insignibus  
immunitatum præsidijs atque ornamentis nudarunt, & populum deni-  
que vniuersum acerbissimo tyrannidis terrore oppresserunt.

Itaque omni studio & contentione primùm Neapolitanis, mox Me-  
diolanensibus & Siculis alijsq; finitimis gentibus, Inquisitionē, religio-  
nis catholice tuendæ prætextu, obtrudunt. Sed cùm generosis animis  
obfirmatè obstantibus minus id succederet ex sententia, suppresso ad  
tempus Inquisitionis nomine, alias ad perficiendum institutum technas  
conquirunt. Iungit se Rex Philippus arctissima fœderis necessitudine  
cum Pontifice Romano, cuius & imperium est ampliū in Italia, & au-  
thoritas apud omnes sacrosancta. Ei se spondet religionem catholicā ro-  
manam non modo sartam testā in suis ditionibustueri, sed in alienis etiā  
velle studiosè instaurare: & se fœderis contra Lutheranos initi principē  
proficitur: hac ratione & Hispanici imperij inuidiam eleuari, & Italos  
principes in fœderis societatem partim studio partim metu ascitos, arcti-  
us deuinciri posse sperat. Accedit Jesuitarum crescens paissim sub idem  
tempus authoritas ac potentia. His enim vsi corycæis atq; exploratorib.  
seu Inquisitionis familiaribus, nō modo in singulas principum ditiones,  
sed in ipsa etiam testa & penetralia viam sibi patefaciunt, eorumque  
animos tum pietatis existimatione ac religionis reuerentia, tum fulminū  
Pontificiorum metu, à rerum nouandarum studio absterritos in officio

retinent, & alteros alteris inter se inuisos ac suspectos reddunt. Eorum-  
démque opera atque ambitione muneribus ac præbendis Ecclesiasticis  
ex viu ac re sua in quos velint repartitis, Hispanici nominis potentiam  
ac terrorem mirificè stabilient. Ita nuper Venetam remp. tum submissis  
Inquisitoribus, tum iniecta de Aquilegiano patriarchatu cui velint de-  
cernendo cōtrouerzia, paulatim sibi ad dicere tentauerunt, & iam pridē  
reliquos propè omnes Italiae principes, & verò etiam eos qui genti His-  
panicæ paulò viderentur infensiōres, his artibus edomitos, quām obse-  
quentissimos sibi reddidere.

Eadem porrò regnandi cupiditate ardentes, ijsdemque confisi stra-  
tagematis, iam olin, cùm Carolo quinto Electorum suffragijs Germani-  
cī Imperij moles esset imposita, primū quidem Galliæ regnum infe-  
stis ex Belgij armis & sapè & grauiter diuexarūt, Mox verò in ipsa Ger-  
maniæ superioris intima viscera, religionis Pontificiè instaurandę præ-  
textu, impetum fecerunt, vietiq; prelio Protestantium Ducibus, de illa  
vndiquaq; occupanda, & suę dominationis iugo subiungenda seriò co-  
gitarunt, ac proinde munitissimas quasq; arces aq; oppidain ipso Ger-  
maniæ umbilico Hispanico præsidio communierunt. Sed cùm neq; corū  
ambitiosissimis studijs Caroli Imperatoris equitas satis responderet, ne-  
que ea quę occuparant loca, & longo remota interuallo ab Hispanijs, &  
fortibus vndiq; ac bellicosis cincta gentibus diu se posse tenere animad-  
uerterent, & iam singulari Mauritiū virtute atque armis inde pulsii, supe-  
riorem omnem Germaniam relinquere cogerentur, & in Gallia iam se-  
pius renouata bella optato successu carere cernerent, opimam quidem  
illam, quam certa spe deuorarant, prēdam è saucibus sibi erēptā grauiter  
ferentes, paulisper substiterunt, donec post Caroli quinti ex Belgio dis-  
cessum, ambitio so, superbo, & verè Hispanico Philippi Regis ingenio ad  
suas cupiditates abusi, alia sibi vii, quod pridem instituerat, aggrediendū  
decreuerunt. Animaduerterat enim se neque in Germaniā, neq; in Gal-  
lia, posse quoties ad libuisset exercitū ducere. Et si post duxissent, com-  
meatum ac belli gerendi facultates primo quoq; die defuturas, nisi oc-  
cupatis & in suam potestatem redactis Hollandiæ ac Zelandiæ portibus,  
constitutoque in reliquis Belgij prouincijs Hispanico præsidio, ac impe-  
ratis quibus opus esset stipendijs, & belli quoties vellēt inferēdi, & eius-  
dem quamdiu videretur sustentandi, prorogandiisque sedem oportunā  
delegissent. Cūm autem se id saluis gentis legibus atque immunitatibus  
ægrè posse impetrare viderent, propterea quod ex illarum sanctiōnibus  
exteris genibus exclusis omnis reipublicæ administratio penes indigenas  
esset, & nulla ciuitatibus, vel vectigalia, vel præsidia, nisi ex ordinum cō-  
fensiū imponi possent, omnino statuerunt antequam ulterius Imperij ac  
dominationis limites propagarēt, illas Belgij prouincias esse arctioribus  
imperij

imperij habenis coērcendas, suisq; illis legibus, institutis, immunitatibus ac priuilegijs, &c unctis deniq; tum libertatis firmatiis, tum præfidijis dignitatis spoliandas, vt ita crectis pro arbitratu suo extructilq; arcibus, imperatisque vestigalibus ac stipendijs, ex orientissima prouincia sedē belli ad sua studia oportuniſſimam conſtituerent, ex qua deinde aliquot Hispanicis legionibus firmata, & suæ fidei penitus mancipata quocunq; inde adlibusſet, impetum facerent.

Ex eo itaq; tēpore, omnia sua consilia, omnes rationes, omnes deniq; actiones ac studia huc intēderunt, vt in Belgio qua vi, quaq; iniuria præſidia Hispanica per prouincias, ad decē (vt minimū) veteranorū militum milia repartirētur, quib. indigenarū Gallorum militū robur adiungerēt, eosq; ordinarijs equitum turmis, quas in Belgio semper paratas, instruētaſq; ex ritu veterū illius prouincie Ducum ac Principū Rex habebat, communirent: eas denique vel deuincta sibi per foedus atque amicitiam Germani cuiuspiā fide atq; opera, vel certe occupata Germaniæ vicina aliqua ciuitate, equitatu Germanico, quoties ita ferret vſus, roborarent.

Ad hanc rem Ericum Ducē Brunsy licensem per initia delegerūt, quē annua pēſitatione oblatā, quaſi quodā authoramento, Philippus Rex fidei ſuæ deuinxit: eodemq; tēpore de Colonia, vel Monasterio occupādo consilia inierunt. Sed cū Belgij ordines Hispanica præſidia obſtinatē recufarēt, eaq; illa, quæ tum ex belli Gallici reliquijs ibi manserant, deduci importunē flagitarent, pecuniā imperatā niſi id fieret, obfirmatē renuētes, oportunitas illius cladis, quæ in Africa ſub idē tempus ad Gelbes extitit, qua quidē legiones Hispaniæ propē ad internectionē deletæ ſunt, effecit, vt quā Belgarum petitionē Rex Hispaniæ ferebat indigniſſimē, & verō etiā quaſi atrox rebellionis criminē graui suppicio mulctādā decrenerat, eam rerum neceſſitate victus, non planè ſibi ingratā eſſe ſimularit, & præſidia Hispanica ex Belgio deduci paſſus fit, vt Italiae & Hispaniæ fines, & quas in Africa tenebat munitiones, ab Afrorū & Turcarum irruptione cōmuniret: Sed certo tamē consilio ac decreto (quod ne ipſe quidē potuit diſsimulare, & Hispani etiā ſcriptis editis testati ſūt) vt prima quaq; noua occaſione, infeſta Hispanorum præſidia eō iterum allegarētur, quorū vi atq; armis, & illa (vt arbitrabatur) Hispanico nomini inuſta macula elueretur, & vniuersa genit̄ Belga libertas arctioribus imperij frenis coērceretur. Ad eam rem perficiendā, nulla ſe obtulit occaſio ſpeciosior, quam religionis Romanae conſtituēdā eōſtans atque iniunctum Regis Philippi ſtudiū, cura, ſollitudo. Itaq; ex Hispania datis ſubinde literis, grauiter queritur rem illā neq; Parmēlineq; procerib. ac magistratibus cordi ſatis eſſe. Omnīnd ſe videre niſi violētiora atq; acriora adhibeātur remedia, Catholicā religionē in Belgio breui pefſum ituram. Id verō ſe nequaquam paſſurū eſſe, ſed omnium regnorū ac ditionum

reliquarum facturū potius iacturā. Itaq; planè ac seriò velle, vt edictorū de religione acerbitas, sine vlla dissimulatione ad vnguem obseruetur, nullaq; de causa vel tantillum remittatur, sed acrius etiam intēdatur. Ad eam rem, noui per prouincias Episcopi vndiq; instituātur, qui munus Inquisitorū exequātur strenuè: ijs omnib. præsit Grāuellanus Mechliniēsis Archiepiscopus, qui iam à Pōtifice Galerum Cardinalitium acceperat, & propter intolerabilē ambitionē atq; effrānē dominandi cupiditatē, apud omnes ordines grauissima inuidia flagrabat. Episcopis autem illis, vt eò gnauius muneri inquisitorio intenti esent, præda distribueretur ex manubijis reliquorum ecclesiastici ordinis beneficiorū, quos aiebāt nimium esse remissos in persequēdis mulctādisq; hæreticis: simulq; summa daretur potestas Iudiciorum in omnib. ijs causis, quæ vel palām, vel oblique ad religionis negotium spectare viderētur. Atq; ita vno tempore, vnaq; opera, omnes gētis ordines pariter offendebātur. Nam & proceres grauiter ferebant reip. procurationē sibi erectā in vnum hominē nouū, atq; exterum Grāuellanum conferri: Nobiles indignè ferebāt summū de suis capitibus, & fortunis omnibus iudiciū penes aliquot homunciones obscuros, viles, atq; inopes, cōtra morē patrium fore, quos intelligebāt suis facultatib. inhiātes, facile criminādi occasionē ad suā perniciē esse aucupaturos: Vrbium magistratus fremebant iudicia contra leges, ac iurata à Principe priuilegia ciuitatib. eripi, & mādarī hominib. nullius pretij, qui & extero principi, Pōtifici nimirū Romano, sacramento obstricti esent, & iam antē infinita avaritiæ & crudelitatis specimina edidissent: Vniuersa deniq; plebs lupos fortunis suis inhiātes pro pastoribus datos sibi querebatur, ita vt infiniti mercatores de patrijs sedibus deferendis cogitarent, & verò etiam innumerabiles in exteris regiones commigrarent. Ea cum varijs supplicationibus, libellis, nuntijs, ac legatis ad Regem referrentur, omnesq; ordines studiosè intercederent, vt ne tanta rerum innouatio ne populo fidelissimo præberetur occasio de antiqua fide ac benevolētia in Principem quicquam remittendi, omnia eorum postulata Rex nō modò obstinatē respuit, sed voluit etiā Tridentini Cōcilij decreta, quibus omnia penē iura patria labefactabantur, sanciri. Videbat enim adesse iam occasionē diu multumq; expetitam. Etenim futurum vt vel si dicto parerent, Inquisitorum potestate semel constituta, conuulsisq; legibus atq; institutis patrijs, haud difficultē tollerētur è medio, qui vel autoritate, vel gratia apud populum valerent: atque ita Hispanica præsidia, & noua reipublicæ forma introducērētur: vel si renuerent, læsī iam omnibus per æquē ordinibus, tumultus aliquis necessariō oriretur, ad quem coērcendum præsidia mittēda censerentur: vel quoquomodo res caderet, obstinatē neglectum Regis mandatū, quasi atrox læsæ maiestatis crimen satis causæ ad gentē omnē ferro atq; armis mulctandam videretur.

Neque

Neque fessellit consilium euētus. Cūm enim ex flore Nobilitatis nōnulli oblato in Curia libello supplices retulissent, quā eset illud Regis institutum & reipub. perniciōsum & ipsi Regi damnosum, & sibi periculōsum, rogassentq; vt tantisper Inquisitionis illa promulgatio differretur, donec de eorum postulatis, Rex ipse in Hispania per Legatos, viros ex summo ordine primarios cognouisset, plebs hac occasione maiore aliquam sibi libertatē concessam rata, religionē Euangelicā, quae Regi atq; omnibus Hispanis erat inuisissima, cœpit, licentiosius fortasse qui impar eset, profiteri, ac publicē exercere. Hac occasione tā speciosa, Rex primum quidē vniuersum illum nobilium ordinē, qui libellum obtulerant, maiestatis dānauit. Legatos qui ad se in Hispaniā ex Parmensis proregiā mādato venissent, capite mulctauit: & simul legiones veteranorū ex Hispania Duce Albano misit, qui proceres ac nobiles omnes, qui Hispanorum studijs minus fauissent, religionis prætextu ē medio tollerēt: in optimos quoq; capitū pœnam fancirēt: plebem vniuersam grauissimis oneribus, vectigalibus ac seruitute durissima mulctarēt: in vrbibus atq; oppidis arces conderēt: deniq; ordines ac Magistratus autoritate, Nobilitatē dignitate ac splendore, populum fortunis, ciuitates legibus, immunitatib. & antiquis priuilegijs, vniuersam deniq; prouinciā omnibus ornamētis ac præsidij nudarent: atq; ita Hispanicis illis de belli sede in Belgio instituenda cōsilijs viā aperirent. Quæ quidē omnia quām sedulō ac diligenter Albanus præstiterit, cūm in omnium oculis ac luce veretur, nihil attinet cōmemorare. Atqui nō ad Belgij prouincias (quæ certē imperium minime detrectabāt) subiiciendas, sed ad Hispanicā in Europa Monarchiā stabiliendā eam manifestē spectauisse, an potest cuiquā esse obscurum, qui quidē eorum cōsilia, rationes, actionesq; omnes volunt aduertere? Nam initio quidē ad Albani aduentū, Coloniā ad Rhenū vībē, eo prætextu quod Regis Hispaniæ perduelles hospitio ac ciuitate donassent, inuadere cogitauit, & simul eodem tempore Monasterium VVestfaliæ oppidum suæ potestati subiungere. Quod quidē, nisi Auroraicæ Princeps comparatis ex Germania copijs eius īmpetum & consilia interuerisset, vtrumq; haud dubiē conjectum vno tempore vidissimus. Neq; tamen propterea desijt, Coloniensibus mandata quæ vellet præscribere, & Senatum gravissimis cōminationibus ad obsequium cogere. Cum Treuirensi, qui eo tēpore suum illi obsequium ad Regis Hispaniæ cōsilia atque instituta cōficienda pollicebatur, primum quidem secretō tractare in perniciē Illustrissimi sanctæ memorie Comitis Friderici Palatini: mox verò etiā contētionē suscipere de vrbe Treuirensis ditionis præcipua, quam in Regis Hispaniæ protectione esse contendebat. Cliuensi Duci Consiliarios eos dīre, qui in eius ditionibus non aliter ex præscripto imperarent, quā si suæ ditioni subiectas Rex Hispaniæ tenuisset.

Embdanum Comitē clientelae nomine beneficiariorum sibi reddere. Le-  
odiensibus arma, tela, cōmeatum atque auxilia imperare, & in omnibus  
denique finitimis illis populis merum imperium exercere. Mox autem  
Serenissimæ Anglorum Reginæ, mercatorij cōtractus nomine, contro-  
uersiā mouerunt. Anglos omnes qui in Belgio essent, arcta custodia co-  
ercuerunt. Reginæ, quos vellent in Anglia proscribi, atque exilio mul-  
titari, edixerunt. Ipsiis Anglicani regni perduelles, homines nefarios &  
cōspirationis in Reginā factæ conuictos, non modò sinibus atq; hospiti-  
tio exceperunt, sed etiā muneribus ac largitionibus, annulūq; penitati-  
onibus locupletarunt. Scotiæ Reginā ad rcs nouas moliendas varijs ar-  
tibus cōfitarunt: eosq; qui Scotiæ Protagō nefariè trucidarant etiā præ-  
mijs atq; honoribus affecerunt, eorumq; opera, cōsilio, manu ad multas  
res vsl sunt. Quid? quod ipsam Reginam Pontificis Romani diplomate,  
hæreticā atq; illegitimā regni hæredē pronunciari curarunt, nefarijq;  
conspirationibus in ipsius regni visceribus excitatis in vita discrimē ad-  
duxerunt, regnumq; ijs qui vellent diripiendum occupandumque pu-  
blicarunt? Sigillatim autē Ioanni Austraco datum est negotiū, vt rebus  
in Belgio cōstitutis, ferro atque armis Angliā inuaderet. Scotiæ Reginā  
in matrimonium duceret, cum qua regnum Angliæ, Scotiæ, atq; Hyber-  
niæ sibi vendicaret. Quod cūm renouato cum ordinibus bello minimè  
successisset, iterum alia via per Hyberniam tentandum esēc putauerunt.  
Missæ sunt itaq; Pontificis quidē Romani nomine, instituto autē ac vo-  
luntate Philippi Hispaniarum Regis, in Irlandiā, Italorum & Hispanorū  
copiæ, quæ ex illa Insula, quām se fidei suę addictā sperabat habituros, in  
Angliā porrò imetu facto, in suam potestatē vniuersum illud regnum  
subiiceret. Et nisi Dux Albani rei difficultate perterriti cōsilio, Philip-  
pus Rex eam rem in meliorē tempioris oportunitatē diffeſēdam decre-  
uisset, iam pridē vniuersa belli moles in Angliā transflata eset: vt nimirū  
illa primum occupata, atq; ea ratione oceano Gallico & Britannico in  
potestatē redacto, facilior eset Belgij opprimendi ratio, Galliam porrò  
interēa per tenerā Regum atatem, varijs dissidijs fluctuantē, omni stu-  
dio, arte, industria, omnibus denique machinis intestino bello implica-  
runt, vt florētissimum illud potentissimumq; regnum, domesticis armis  
ad interencionem propè attritum, peslēt sine multo negotio, cūm vslus  
ferret, opprimere. Interēa autē quas illi ciuilibus ijs bellis faces submoue-  
rint, quæ auxilia subministrant, quæ dissidia excitarint, quæ partiū stu-  
dia, factiones, similitates, foedera, cōspirationes ad fouēdum illud miserū  
incēdium excogitarint, quid attinet dicere? cūm ipsi Regi Christianissi-  
mo notum sit, illos non semel populos sibi subditos ad defectionē & ad  
arma cōtra se capessenda sollicitasse. & ne quis illud religionis Catholi-  
cæ zelo factū autumet, etiā ipsos religionis Euāgelicæ propugnatorū ac  
Principum

Principū animos ingētibus pollicitationibus, muneribus ac pecunia per tētasse. Cūm ad eius maiestatem sēpē numerō certis indicij relatum sit, quas illi machinas ad priuatos multos ciuitatum ac portuū maritimorum p̄fēctos corrūpendos, & ab eius fide alienādos abhibuerint: quōd ipsū etiā Nauarræ R̄egē promissā pecunia ad dirumpēda pacis fōderā studiosē sollicitarint, & ne quidē à Regis fratre Serenissimo Andiū Duce in fratris ac totius regni perniciem armādo, sollicitandoq; abstinuerint. Et cūm eum suis cupiditatibus minus obsequentē cernerēt, veneno ac submissis sicarijs ē medio tollere tētarint, vt interea omittā pēsionariorum, quos vocāt, numerum, nō modō ex Iesuitarū & Inquisitionis corycāorū grege, sed ex aliis stipendiarijs, quos non modō apud Galliæ Regē, sed apud omnes ferē Christiani orbis Principes ac populos ex intimis & maximē arcānis cōsilijs suā fidei addic̄tos habet Rex Hispaniæ, qui quoties opus sit, rēpub. turbēt, subditos ad arma concitent, consilia aduersa dissipent, & quo d̄ sibi ex vsu sit, decernāt. sunt enim hēc plana, aperta, & verō ip̄sis etiā Regibus & Principib⁹, in quorum perniciē cōparantur, multō notissima. Et nemo tamē est, qui vel hiscere quidē audeat vel mutire. Tātus scilicet omnium animos Hispanici nominis terror occupauit. Nam quid ego de Germania nostra dicā? quāc cūm in omnium maximo versetur periculo, & propē iā Hispanicæ ambitionis gurgite absorpta sit, omnium tamē maximē secura periculum negligit, & vicinorum tectorū incēdium iam v̄sq; ad intīma sui ipsius viscera peruagatū, nihil ad se pertinere putat: ita quāc & suam priuatā, & communem orbis Christiani libertatem olim omnium strenuissimē tutari solet, ad repellendum hoc Hispanicæ seruitutis iugum, videtur omnium ignauissimē obtorpuisse.

Sanē habet in Germania Philippus Hispaniæ Rex nō iā occultos exploratores aut pēsionarios, qui Principum consilia, atq; arcana ad se deſciāt: sed publicum assēlōrē in Camera Imperij, per quē de causis omnibus ac negotijs Germaniæ cognoscat, & tanquā aliquis v̄nus ex Germaniæ Principib⁹ dijudicet. Sedet etiā per legatos in omnibus Imperij cōfessib⁹, omnia Comitia periustrat, omnia deniq; arcana explorat, neque minus habet perspecta quām ipsi Germaniæ septem viri Electores. Quo quid potest esse indignus, quid Germanico nomini cōtumeliosius, quid aut libertati insidiosius, aut perniciosius saluti, quām nullū existere Imperij in Germania cōfessum, nulla Comitia, nullum Senatum, nullum ordinum cōuentum, ac ne cōmune quidē Iuris ac iustitiæ tribunal, nisi inspectāte, cognoscente, ac pro p̄modum iudicāte, imperanteq; Hispano? Quid ita? quia videlicet circuli Burgūdici nomine, qui inter Germaniæ circulos censem, etiā inter Imperij Germanici mēbra habēdus est Rex Hispanus. Quid hoc queso est, Illūstrissimi Principes, nisi vestro nomini, authoritati, gloriæ apertē illudere, & vobis vidētibus, sciētib⁹, prudēti-

busq; seruitutis Hispanicæ capistrū imponere? Anno à Christo nato post mille quingētos, quadragesimo, ni fallor, octauo, cum vi atq; armis oppreslām teneret Germaniā Carolus quintus Imperator, Augustæ armatis Hispanicis atq; Italicis legionibus septus, Comitia indixit: Retulit multas in inferioris Germaniæ, quæ Galliam attingit parte, esē tum vribes, tum prouincias, quæ antiqua lege & cōsuetudine à Camera Imperij iura solerēt accipere, ad Germaniæ cōmune tribunal prouocare, & deniq; in Germaniæ circulis atq; imperio censerī. Ex quo cūm sēpe variæ oriētur cōtrouerſiæ, velle se vna opera & litibus finē imponere, & Germaniā beneficio afficere: ac proinde decernere, vt posthac omnes omnino quas tū in Germania inferiore, tū in Gallia Belgica prouincias ac ditiones tenebat, in vnum Imperij circulum redactæ Burgundici circuli nomine censerētur. Eo nomine, se suosq; posteros Imperio pensaturos, quātum ad belli Turcici vētigalia soleāt pēdere duo Electores, de cētero vniuersam illā ditionē nō tantum ab omnib. imperij inductionibus collectis, ac subsidijs liberam fore, sed etiā omni Camera iurisdictione, legibus, atq; editis Imperij solutā: hæc scilicet est merces spoliatæ nostræ Iurisdictionis, auctoritatis, Imperij: hoc est seruitutis authoramētū. hac enim pecuniola prostituta est sacrosancti huius Imperij dignitas ac libertas, dataq; extero Principi, cui nulla nobiscū nec generis, nec vicinitatis, nec lingue, nec iuris necessitudo intercedit, potestas in nostra Comitia irrumpēdi, in nostris cōfessibus sedēdi, & in Camera Imperij sententiā dicēdi, omnia deniq; nostra cōsilia, rationes, arcana perlustrandi, explorādiq;. Quod si in seruitute, etiā si neq; superbus, neque molestus sit Dominus, tamē miserrimū est posse esse, si velit, quis nō videt miserrimā profectō esse nostrā Germaniā, in qua Rex Hispanus, si velit, ex arbitrio possit imperare? Quanquā quid attinet dicere si velit, posse, cūm iā eum lōgē latēq; in Germania imperare omnes videant? Quid enim hac Burgundici circuli constitutione cōsecutus est Hispanus? Vt nō iam in Burghido solum circulo pro libidine dominetur, sed VVestphalico etiam, qui certe vnu ex principiis ac fortissimis Germaniæ circulis est habitus, quod velit, iubeat, imperet, & quasi quidam dictator præscribat: neque quisquā sit, qui cōtra iurire audeat. Haec tenus enim eius Imperio paruit ditio Leodiensis, paruit Clivensis, ac Iuliacensis principatus, paruit tractus Coloniensis, ac vniuersa VVestphalia. Neq; tamē est hoc etiānum imperio cōtentus, quin nouo etiā authoramēto illa sibi penitus vult mācipare, & in omnes Germaniæ partes imperiū vndiquaq; protēdere. Ut enim taceam quod extremas serè omnes Germaniæ oras inde vsq; ab Alpium radicibus ad oceanū Germanicum tenēt ij, qui sunt eius obsequijs addic̄tissimi, neq; imperium refragari ausint: vt nihil dicā quod qui arctissimis foederis, sanguinis, nominis, familie, affinitatis necessitudinib. cum illo

K. V. 1

illo sunt colligati, in Histria, Carinthia, Croacia, & maxima Pannoniae parte, & porrò in Bauaria imperium habet. Fauces Lyci, Oeni, Danubij tenet: Augustæ Vindelicorū, Ratisbonæ, aliarumq; amplissimam partem Imperij civitatum cœrui cibis imminent: ut omittā etiā quod Imperij ipsius clauis manu habet, qui ob Hispanici regni spē, Hispanicæ dominationi haud vñquā se opponet. Quis non intelligit, quo tandem spectet immensa ista atq; inexplibilis dominandi sitis, quæ adolescentē Bauariae Ducē Episcopū Frisingensem Hispanici Regis studio incitatū, autoritate armatum, flabel' oīn cœsum ardere omnes videt? quæ nulli neq; a plurimi Episcopatus, nec principatus potestissimi possunt exalturare? Is īa uno propter temporis momento eam sibi cōperauit potentiam, vt multis quidem Europæ Regibus cōparandus, omnib. certè Germanicæ Principibus metuendus iure videatur: multa enim sunt atque illustria in Europa regna, quæ neq; finiū amplitudine, nec multitudo gentiū, nec militū robore, neq; omniū rerum copia, cum eius ditionibus cōparari possint: neq; tamē cōquiescit, sed Hispanicæ ambitionis æstro percitus, semper maiora ac maiora cōcupiscit. Iam enim præter aplissimos Episcopatus Frisingensem ac Hildesheimensem, etiā Leodiensem principatum, & ditionis amplitudine, & gentis robore, & loci oportunitate nulli secundū, Hispanici Regis opera atq; impulsu obtinuit. Nam etsi haec tenus semper Leodiensis ditio Hispanos telis, armis, machinis, milite, cōmeatu, atq; omnib. belli præsidij nō obscurè neq; dissimuláter iuuit: quādū tamen Coloniensis Electoris metu nō nihil retentus Episcopus, omnes animi latebras nec dum sibi patefaciendas duxit, et si re ipsa Hispanicæ Regis obsequijs suam omnē ditionem manciparat, verbo tamen neutralitatem præse tulit. Iam vero, ne quid restaret quo minus Rex Hispanicæ pro arbitratu posset planissime impetrare, Archiepiscopatum etiā Colonensem, & summā Electoratus dignitatem, partim armis, partim cōmitionibus, partim Romani Pōtificis auctoritate, illi, aut potius illius nomine sibi procurauit atque addixit. qua certè ratione nō iam solum ipsius Germanicæ armis ac viribus inferiorem illā Belgio finitimā Germanicā oppugnat: sed ad vniuersam etiā superiorem Germanicā imperio ac dominationi suæ subiugendā aditū sibi patefacit: omniaq; & Electorū & reliquo Imperij Principum vestigalia suę potestati subiicit. Quæ quidem, illustrissimi Principes, vestrae dignitatis, vestrique Imperij neruos ac præsidia merito semper omnes dixerunt: quibus amissis & in exteri Principis potestatē hac noua Colonensis Archiepiscopi electione redactis, quasi compedes ac numellæ vobis iniecta sunt, quibus & belli gerendi (si necesse sit) potestas admiratur, & servitutis iugū, quoties Hispano adlibuerit, cœrui cibis vestris imponatur.

Nec enim iam est necesse Philippum Regē Iulij Cæsarī exemplo pōtis

in Rhenō cōstruendi cura magnoperē distineri. Poens anim illiē trai-  
ctus est ipsa Imperij vrbs, atq; Electoratus sedes Colonia, omnisque Ar-  
chiepiscopi ditio, quæ huius nutui ac voluntati non secus ac suo parebit  
Principi. Quid igitur iam reliquū est quominus vniuersē Germaniæ His-  
panus imperet, edicta quæ velit præscribat, & in quo scūnque adlibuerit  
armis impetū faciat? Nullum fortale habet in Germanici oceani fauci-  
bus portū, in quē ex Hispania (si necesse sit) classem mittat. Atqui & hoc  
prudenter cauit ne sibi deeset. Prætextu enim vel belli in Phrysiōs ge-  
rendi, vel cōmeatus in Belgium importandi, An asī ostium concedi sibi  
postulat: ad eam rem cōficiendam negotium dedit Billiæo Lusitano, vt  
sibi Embdanā ciuitatē à Comite Phrysiæ orientalis Edzardo, quē clien-  
telæ nomine decūntum habet, ad tempus aliquod quasi cōmodato tradi-  
curet. Eius beneficij præmiū Groningā oppidum (quod quidē vndique  
Hispanorū manu cinctum, atq; omni cōmeatus oportunitate exclusum  
quoties libebit facile recepturus es) & simul Burgundiæ comitatus gu-  
bernationē, cum vectigalium ac ieditus anniū vsura, suis tamē præsidij  
munitam illi pollicetur. Ita perficit vt oportunissima omnia Germaniæ  
flumina Danubiū, Rhenum, Lycum, Oenipōtem, Mosam, Mosellam, A-  
masim in sua potestate habeat, & quē ad modum per suos clientes, & ne-  
cessarios terra sibi aditum vndiq; patefecit: ita in oceano nihil sit quod  
cius vel vires frangere, vel impetum possit retardare. Et quia postremō  
intellexit, quantā olim Carolo magno difficultatē ad res gerendas præ-  
buerit in uiuctum illud Saxonie inferioris robur, & simul cōmeminīt vna  
Magdeburgensiū ciuitatē non ita pridem ab omni cōfederatorū auxilio  
nudatam, Caroli V. Imperatoris inuictissimi parentis sui exercitum de-  
tinuisse, victoriā cohibusse, ac vires deniq; fregisse, dedit operam, vt huic  
etiā periculo prouideretur, neq; quicquā planè esset quod in Germania  
imperium eius posset remorari. perfecit enim vt & Romanus Pontifex &  
ipse Imperator, præter ea quæ iam apte à nobis cōmemorata sunt, Epis-  
copatum etiā Magdeburgensem, hoc est, vniuersum Saxonie robur, eidē  
Episcopo spōsione addixerint. Nihil enim putat interesse per se, ne an  
per legatum, clientem inquā & cōsanguineum atq; affinem suis studijs  
addictissimum tenet: cūm habeat exploratum, illo Episcopo se quod  
volet esse imperaturum. Neque tamen his etiamdum se continent finibus.

Laborat enim vt illum totius Germaniæ Primate creet, cuius nutu atq;  
authoritate omnia Ecclesiastica munera, dignitates, ac præbende in quos  
sibi adlibuerit, erogentur. Neque adhuc persentiscitis, viri Germani,  
Hispaniæ Regem in Germania Imperiū, nō dicā ambire, sed iam occupa-  
tum tenere: qui Belgio deuicto portus omnes oceanii, & Germaniæ flu-  
minū ostia in potestate sit habiturus, vobisq; omnē nauigādi ac negoti-  
andi facultatē quoties libebit, recepturus: qui Amasi etiā ostia sibi iamiā  
tentet

tētet subijcere: qui vestra omnia vestigalia & portoria in suā potestatem redigat: qui Cluensibus, Iuliacensibus, Leodinis, VVestphalis leges atque edicta prāscribat: Colonjā Imperio suo parēre iubeat: cuius ciētes, propinqui, affines maximos ac prāstantissimos Germaniae populos sibi subiectos habeant: qui ex Hispania in vestris conselisibus & Comitijs se-deat & sententiā dicat: vestra omnia cōsilia, rationes atque arcana perlustrēt: qui non modō quod vult iubeat, vetet, sanciat, imperet, sed pro arbitrio etiā Episcopos Frisingēsem, Hildesheimēsem vobis designet: Principes atq; Electores Imperij Colonensem, Leodiensem, Magdeburgēsem creet: qui deniq; Primatem Germanie imponat, per quem Ecclesiastico ordini in Germania amplissimo ac potentissimo imperet? & pro his omnibus, vñū vobis obtūdat, quem habet sibi & sanguinis & affinitatis multiplicib, vinculis obstrictum, & clientelæ nomine deuinctū, & beneficiorum acceptorum necessitudine, atque alijs infinitis non inib, addictissimum, quemq; certò nouit, nihil nisi ex suo nuto, sententia prescriptoq; tentaturum, acturum: quem deniq; propter varias ac multiplices, quę illi cum alijs potentissimis Germaniae Principib, intercedunt, cōtrouerfias, exploratum habet in Germania eiusmodi dissidiorū faces esse submissurum, quę nisi cum totius facri imperij ruina extingui nunquam possint. Nam cui potest esse ignota, vetus illa quę huic est cū illustrissimis Brunswici Ducibus, de mille suprā vnum pagis grauissima cōtrouerfia? quā certè silentio sopitam nunquam patietur conquiescere.

Aut quis nescit quāta emulatione hęc Bauarorum familia de primi Electoratus iure ac dignitate cum Palatinorū stirpe iāpridem cōtenderit? Quym sibi, suoq; nomini, genti ac familiæ primā illā ac summā Imperij Germanici dignitatem erēptā quiritentur. quę certè cōtrouerfia cūm se hic tanta sentiet autūm potentia, quantā illi Regis Philippi studium ac voluntas vobis tacentibus cōparat, denuō excitata quātas & quā funestas Germaniae Tragedias pariet, quantā ad Hispanorū tyrannidem, & secundam Germaniæ seruitute in fenestrā aperiet, quātas deniq; clades atq; terumnas miserā nostrā atq; improudā patriā adferet, quis non videt? Et tamen vos hęc omnia, Principes Illustrissimi, Amplissimijs Imperij Ordines, nō modō taciti cernitis, sed in vtramq; etiā aurē securē dormientes, prābetis vos otiosos, ac suaueis finitimorum calamitatis atq; excidijs spectatores: & cūm incendiū hoc parietē proximū fundamento tenus propemodum exhauserit, & verō etiam vestra tecta atque cubilia tacitē adlambens vhementer labefactarit, vestrā nondum rem agi existimatis, neq; tam potentis, tamq; ambitiosi ac superbi Regis conatibus obsistēdum ducitis? Quid verō reliqui Christiani orbis Reges, Principes atque Ordines? Vna tenet omneis socordia, vñus veternus. Dum enim vnicum Belgiū eius se tyrannidi obicit, omnibusq; Regibus, Principibus, atq;

Ordinibus Christiani orbis, & auertendæ seruitutis occasiōne ac tempus largitur, & quā facile Hispanicæ huius Monarchiæ fundamenta labefactata euerti possint, suo exemplo cōmonstrat, nemo est qui rem sibi curæ esse declaret: sed quasi de industria potentia Hispanorum ad suā quisq; perniciē certatim augere & corroborare studeat, taci omnes patiuntur Belgas diuturnitate ac mole belli fractos, rebusq; aduersis tabescētes languescere, ita vt quid vel consilijs capiant, vel rei tentent difficile possint cōstituere. Interea Galliæ Rex potētissimus, ob fēmel capta à fratre Andegauensi Duce improuida ac temeraria cōsilia, animo fluctuās, vicinū incendiū lōgè latēq; perugari cernit, sperans fortasse sibi satis fore viriū ad suas res domi tuēdas, conseruādasq;. Ipse Andegauēsis rerum suarum incertus, quid faciat, quidū sibi ex vnu sit, decernere non potest. Regina etiā Angliæ, ob occupatā Portogallia & oceanū in Hispani potestatē redactum, attonita videtur obstupescere, neq; quid cōsiliij capiendum sit, decernere. Hispanus interea omni conatu ac viribus Belgium premit. & pulcherrima cōcupitæ totius Monarchiæ fundamenta nullo intercedēte iacit, ita vt iam nominis sui atque imperij terrore atq; amplitudine extremos Orientis atq; Occidentis fines longè lateq; impleat, & quod est à Pōtificibus Romanis Catholici Regis nomen consecutus, id verè ac re ipsa sibi propriū efficiat: quod certè vobis quidē omen, Reges, Princes, ac populi Christiani, nisi prouideritis, extremā seruitutem, huic autem, quem vestra socioria in immensum crescere sinitis, Regi Catholica, hoc est, vniuersalem in omnes dominationem ac tyrānidem cōminatur. Philippus quondam Rex Macedonum Græcia meritè suspectus fuit, propterea quod finitimos aliquot Thraciæ populos, & Græciæ oppidula suæ ditioni subiiciēs, reliqua totius Græciæ libertati videretur infidiari: ac proinde censuerunt Athenienses ab vniuersis Græcis potentiam eius esse retundendā, imminuendāq;: veriti ne quo flagrabat ambitionis incēdio, nō modò Græcia omnis, sed Asia etiā vniuersa absumeretur. Neq; se felicit illos suspicio. Nam et si Philippus morte præuentus, quod animo cōceperat perficere nō potuit, eum tamē veteranorū militū florem Alexandro post se reliquit, cuius robore vir adolescens, non modò Græciā, sed etiā vniuersam Asiam, Syriā, Babyloniā, Persiā, Ēgyptū sibi subiecit, & ad Indorū & Scytharū extremos vsq; fines, omnia lōgè latēq; depopulatus, tertiam illam post Persas orbis terrarum potentissimā Monarchiam breui temporis momento stabiliuit. Nos huius Philippi Regis Hispani neq; ambitionis æstum metuitus, nec redundantem potentiam imminuendā cēsemus, qui nō vnum, sed propè infinitos varijs locis, atq; instructissimos habet à veteranis militibus exercitus: qui plus quam triginta Hispanorum veteranorum millia in varijs præsidij paratā semper atq; instructa tenet: quī in Africā, Asiam, Europam, Americam, atq; Indias

dias omnes & eos & occidas imperij sui fines longè latèque submo-  
vit: qui Othomanicam potentiam clastè instruētissima fregit: qui Lusi-  
taniam omnem cum infinitis Oceanis insulis, florentissimisque regnis ac  
provincijs imperio suo adiecit: qui vniuersam Italiam orbis quondam do-  
minatricem suo arbitratu moderatur: Africæ portus ac litora non pauca  
in potestate habet: vniuersum Oceanum quaquaversum occupat: Me-  
diterranei maris insulas omnes præcipuas, ac portus suæ ditionis subiectas  
tenet: qui deniq; omnibus Christiani orbis principibus ac populis, quod  
vult, præscribit, & solo nominis terrore quicquid adlibuit exequitur.

Quod si verò quis existimat eum tā amplio ac vasto contentū Imperio  
nihil esse amplius attentaturum, nisi quod iure & legibus possit vendica-  
re, neq; in aliena Imperia aut regna per nefas facturū impetū, is profectò  
prudēs sciensq; fallitur, & sibi ipse palpū obtrudēs saluti suæ ac dignitati  
pesimè consulit. Primum enim inexpribilis est regnādi cupiditatis sitis,  
atq; ardenti flāmæ persimilis, cui quo plus alimentorum ingeritur, eò la-  
tius vagās plura semper absunt ac vastat, neq; quicquam villa ex parte in  
cōfinijs intactum aut integrum esse patitur. Deinde quis ex illa impotēti  
Portogalliae occupatione nō videt Philippū Regem nullis legibus, nul-  
lo iure, nullis deniq; sanctionib. teneri velle? Nā si quod sibi ius in regni  
illius succeſſione arrogabat, cur leges armis perfregit, iura vi anteuerit,  
sanctissimorum Iudicium sententias flāma & ferro præoccupauit? Anto-  
nium Regem, Galliæ Reginā Matrem, Bregātij. Ducē, & verò etiā ipsius  
Parmensis Principis filium, ac reliquos deniq; omnes, qui de regni suc-  
ceſſione ambigebant, nefariè delusit? Et adhuc iuris nomen aut religionem  
apud illū valere existimabimus, qui regnādi causa nullo se nisi armorum  
iure teneri, palam atq; in totius orbis Christiani oculis testatur. Quid ve-  
rò? qui data pecunia Turcā in Venetos confederatos armavit, eorumq;  
impetū à suis finib. in Cyprū auertit, eūmne vllis foederum legib. teneri  
arbitrabimur? Qui neq; cū Indis, neq; cum Granatenib. neq; cū Belgis  
inita foedera diutius quā sibi ex vnu esset sancta habuit, eiūsne ardens am-  
bitio foederis aut iuris villasanctione retinebitur? Sed quē tandem illū iuris  
obstringat religio, quē sux ipsius religionis præscriptū, & Pontificis Ro-  
mani authoritas ab omni iuris vinculo liberat? An verò quē nulla matri-  
monij leges ab incestu, nulla cōiugij necessitudo ab adulterijs, nulla na-  
turæ vincula à parricidio, nullū deniq; fidei sacramentū à periurio reti-  
net, eius ardentem ambitionis flammā, regni propagādi studio incensum  
animū, vltionis appetitæ insanū furorem, iustitiæ aut iuris frigida suffusa  
restīngui posse arbitrabimur? Quasi verò Pōtifici Romano minus siet in-  
tegrū regni finiū iura quā matrimonij tiecessitudinem, quā cōiugij san-  
ctitatem, quā fidei sacramentum obtentabullā soluere? Quanquam quid  
attinet iuris prætextu illius ambitionem oppugnare, qui ex iure & legib.

in aliena imperia meritò se posse inuadere iam pridē statuit? Ecquis enim est Regum aut Principum, reliquorumq; Christiani orbis Ordinum, in quem se Hispanie Rex nō arbitretur iustissimā belli gerendi causam iam pridem habere? Gallię Regem accusabit, quod fratre in suas ditiones armis irrumpente, nō modò nō prohibuerit, sed milite, cōmeatu, pecunia, armis robauerit, eoq; nomine hostē se prior declararit: quod Reginę matris nomine insulas suas Gallicis armis ac signis hostiliter inuaderit, classem suā oppugnarit, Antonium hostē ac perduellē, non modò regno atq; hospitio exceperit, sed armis etiam ac milite iuuerit: quod Belgas iplos omnib. belli præsidijs quoad potuit sustentarit. Anglia Reginā dicet primū quidē esse hæreticā, & à Pōtifice Romano proscriptā, deinde multis etiā rebus & terra & mari decretis ac gestis hostilē erga se animum prodidisse, hostes suos ac perduelles souisse, & tum pecunia, tum cōmeatu ac milite iuuisse, classem hostilē in oceanū misisse, Antonio Lusitano auxilia subministrasse, aurū ac naues ex Indijs per vim subduxisse. Germanos Principes alios quidem causabitur Principi Auralicæ cōtra se auxilia tulisse, alios in Belgio etiā militasse, in alios per Frisingensem seu Leodiensem Episcopum de finib. movebit controuersiam, in alios de iure Electoratus: omnes autē vniuersim velesse hæreticos, & à R. m. Pōtificis obediētia desciuisse, vel certè cum ijs qui desciuerint fœdus iniisse pronunciabit. Hos omnes R. m. Pōtifex anathemate percussos armis ad obsequiū cogi volet. An nō erit hoc satis superq; iuris ad eos inuadēdos, ei qui Pōtificis Rom. mādata p̄ diuinis oraculis, anathemata p̄ fulminibus habeat? qui per se etiā religioni Euāgelicā holtis sit infestissimus, eamē; tanquā humani generis teterimā pestē oderit: qui omnes suos conatus, omnia studia, cōsilia, actiones, fœdera deniq; omnia ad illā delendam ac penitus extinguendā semper adhibuerit: & qui, cūm sit omniū hominum ambitiosissimus, palām tamē profiteatur malle se omniū suorū regnorū ac ditionū iacturā facere, quā vel minimā huiusc religionis scintillā inextinctā pati: qui deniq; Germanos prop̄ oēs haud alio loco quā Turcas, Paganos, aut Saracenos habet. Quid vero Pōtifex, an nō arbitrabitur sibi æquē esse integrū Germaniā anathemate percussam Philippo Regidiripendā dare, atq; olim eius parenti superiores dedere Pōtifices? Paulus tertius, eiufq; antecessor Clemēs vii. Carolo V. anathematis fulmē intētarunt, ppter ea quod de religione dissidia putaret authoritate Cōciliij generalis, nō aīmis esse decernēda: optimūq; ac minimē ambitiosum Principē ad sumēda in Germanos arma, inuitum ac diu reluctantē cōmissionib. ac fulminib. suis tandem coēgerunt: & nos existimabimus Philip pū Regē nullis Pōtificum flabellis incitatū iri, vt se iure arbitretur Germanos in Romanę fidei obsequium armis posse adducere? Quod si verò quis existimat ad protestātes hēc solūm pertinere, reliquos ab Hispanice tyrannidis

tyrannidis metu liberos esse, is cogitet, veteres olim Hēricos, Othones,  
Fridericos, aliosq; summos, potētissimos, atq; omni virtutis laude præ-  
cellētes viros, maiores vestros, illustrissimi Principes, eandē cum Pōtifi-  
cib. religionē coluisse, neq; fulminū Pōtificiorū cuspides minus propte-  
rea sensisse: cum alij Pontificum nutu sua regna atq; imperia in exteris  
Principes translata viderint, alij eorum vel pedibus proculcandā cerui-  
cem subiecerit, vel ad genua capite ac pedib. nudatis supplices se p̄uolue-  
rint, vel deniq; irā grauissimis mulctis ac supplicijs auerterint. Cogitet  
satis causā Pōtifici Romano ad Hispaniæ Regē in Germanorū perniciē  
armādum fore, quōd videat eos qui suā religionē profitentur, eāndē ta-  
mē nō modō aduersus protēstantes nō tutari, sed multis etiā foederib. ac  
varijs necessitudinū vinculis cum illis cōiunctos esse: cogitet denique  
cūm se Hispani sentiat Germaniā nō posse vel suo imperio subiucere, vel  
ad Pōtificis Romani obedientiā armis adigere, nisi ad alias subigendos  
aliorum operā vel foederis nexu, vel cliētelē necessitudine, vel armorum  
terrore sibi addixerint, omnīnō eam Germanis conditionē ac legē sube-  
undā esse, vt vel foedere atq; amicitia se Hispanis ad reliquos Germanos  
opprimendos coniungāt, vel ad hos propugnādos, & vniuersam Germa-  
niā in libertatē vindicandā cōtra Hispanos arnia sumant. Quōd nīl ma-  
tutē fecerint, & p̄aeclara ita Belgicarum rerum occasione vñi Hispaniæ  
potentiae incrementa inciderint, frustrā suis postea virib. singuli ruētem  
in suas ceruices immensæ tyrannidis molem conabuntur auertere. Est  
quidem, est inquā magna, viri Principes, Regis Philippi potentia. Sed est  
tamen eiusmodi, vt cius omnia fundamenta quēadmodum vestrā ac reli-  
quorum Principum toleratiā, ne dicā socordia, nata adoleuerunt: ita ve-  
stria virtute, cōfessione q̄; labefactata, nullo negotio sint ruitura. Omnes  
enīm eius ditiones multis magnisq; locorum interuallis inter se disiitae  
iacent, & facilē est illis cōmeatum intercludere, auxilia interuertere, vi-  
res deniq; frangere: modō vt ipsi vobis non desitis, modō vt Germaniæ  
intermedio vinculo Italiā cum Belgio nec̄ti non patiamini. Quod quidē  
ēo erit facilius, quod videatis omnes populos illi subiectos, immanem  
eius tyrānidem exhori escere, & nihil nisi rei gerendæ occasionem qua-  
se in libertatem vindicent expectare. Videtis quātulīs viribus quā parua  
manū, quām cōtemnēdis principijs, Aurasiaci Princeps maghos Hispano-  
rum exercitus, & vastos illos conatos irritos atq; inutileis reddiderit.  
Quāto tempore Belgij prouinciæ omni auxilio destitutæ, atq; omnibus  
nudatae præsidijs tanti Regis impetum sustinuerint. quām propē absfue-  
rit vt dudum quidem Ioānes Austriacus, nuper autem Princeps Parmē-  
sis cum omnib. suis copijs ex omni Belgio ciecti fuerint: & nisi tum qui-  
dem intestinis dissentionib. plerāq; prouinciæ à cōmuni feedere descī-  
uisserint, nunc autem aulicorum quorundā pernicioſis consilijs Dux An-

2016405

degauensis fortunā, quā in manib. habebat, elabi sibi p̄assus esset, nō modò è Belgio deceſſuri fuerint Hispani, sed imperij sui fines intra Iberum fortasē terminaturi. Itaq; nec est, Illustrissimi Principes, quod Hispanici imperij terror à re fortiter gerenda, vindicandaq; cōmuni libertate vos abſterreat, neque quod eorum potentia cōtēptus securos aut segniores efficiat. Nihil Regis illius vobis oberit potentia, si maturè prouideritis, si res Belgicas nō neglexeritis, si Billiæ conatus ab occupādo Amasi ostio vestrā authoritate atq; imperio fregeritis, si ardente Ducis Bauariæ ambitionem, eiusq; erga Hispanicum nomen studium cōērceritis, si cum Christianissimo Galliarum Rege, cum Serenissima Angliæ Regina, cum alijs denique Christiani orbis Principibus, consilia de immensa ista Hispanorum potentia intra suos limites cōērcenda, feriò ac maturè injueritis. Sin autem patiemini finitimum vobis Belgium, Hispanicis armis iam ferè oppressum, etiā Germaniæ viribus atteri: Clivenses, Iuliacenses, Colonenses ad Philippi Regis mādata contremiscere taciti spectabitis: Leodienses machinis, armis, commeatu, atq; omnibus belli præſidijs, quod est haec tenus ab illis studiosè factitatum, hostem iuuare non prohibetis: neq; Ducis Bauariæ astuantem ambitionē cōērcebitis: Sed eius imperio Colonensem Archiepiscopatum, atq; Electoratus dignitatem adiungi patiemini, eumq; suas vires ad Belgij perniſiē cum Hispano coniungere nō vetabitis, & verò etiam portum in Germanico oceano Hispanorum classi pateſacetis: Nolite dubitare quin reducto in Hispani seruitutem Belgio, diuīsa & in variis ſactiones diſtracta Germania, Galliaque, vel bellis & cōtentioñibus domesticis exhausta, vel consiliorum ac ſludiorū pugnante inter ſe varietate diſtracta, Hispanic nominis terror, atq; imperij moles, quaſi quidā vastus atq; incuitabilis oceanii aſtus riuptis vici-nis aggeribus ac repagulis vniuersum orbem Christianum extremæ cladi, & calamitatū omnium fluctibus breui tempore fit obruturus: quod quidem ſi qui tum vel armis, vel alia vi conabuntur prohibere, ferè ſanè illi ſentient, quod in orationis capite diximus, elapsam hanc præclarissimam rei bene gerendæ oportunitatem, nulla neq; vi neq; voto rediutram, ſocordiæ ac tarditatis meritas à nobis pœnas reposcere. Hoc ego omen vt ab vniuerso orbe Christiano, maximè autem à dulcissima mea patria Germania Dominus auertat: & vos, Illustrissimi Germaniæ Principes, reliquiq; orbis Christiani Reges potentiissimi, & Amplissimi Ordines, vestrāque omnia consilia atque instituta, ſpiritu ſuo sancto ita mōderetur, vt quod erit ex vſu reip. Christianæ, quodque ad diuinī nominis gloriam, & populi ſalutem ſpectabit, decernatis, ſtatutatis, ac re ipsa exequamini, etiam atque ardentissimis votis, per Chriſti Iesu nomen, exopto atque deprecor.